625. 615

Vero Christi Discipulo Martino Luthero.

Gratiam et pacem a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo, qui unicus est mediator noster et sacerdos aeternus. Quid dicam fratres mei amantissimi? unde exordiar? Anima in angustiis est et spiritus meus clamat ad Dominum et non est silentium mihi. Dico enim quomodo moritur iustus et non est qui recogitet in corde suo, viri misericordiae colliguntur, quia non est qui intelligat, a facie enim maliciae collectus est iustus. Occisus est noster Henricus verbi Dei praedicator invincibilis, et periit quasi non sit Deo dilectus. Est tamen preciosus in conspectu Domini sanguis eius, licet coram Ditmarciis factus sit vilis. Oh Domine usquequo clamabimus et non exaudies, quare respicis contemptores et taces conculcante impio iustiorem se? Ita pater quoniam sic placitum fuit ante te, non est enim discipulus supra magistrum suum, neque servus supra dominum suum, sufficit discipulo si sit sicut magister suus, et servo si sit sicut dominus eius. Si patrem familias dixerunt Beelzebub, quanto magis domesticos eius? Non ergo timebitis eos. Hoc est enim hora ipsorum et potestas tenebrarum. Dolemus igitur nos veritatis amatores et tristes incedimus, gaudent adversarii et erecto incedunt collo. Nos tamen ita dolemus de morte Henrici, ut nos nimis coram Domino gaudeamus, certi de novo Martyre Christi. Illi vero coram mundo gaudent erit que non dubito ipsorum gaudium ad instar puncti. Verum rem ipsam paucis accipite. Tristior est enim animus meus quam ut possim multa scribere. Vocatus est Henricus ad Ditmarciam a quodam pastore in Meldorp viro Christiano et apostolico consentientibus non nullis principibus eiusdem loci in Meldorp. Henricus ut erat cupidus et verus Christi testis illuc profectus est, confidens in Deo renitentibus amicis quos noluit audire, quia sese vocatum a Deo dicebat, illuc veniens receptus est a Christianis amicis. Verum Monachi verae pietatis et Christianae veritatis inimici, turbant, currunt, instant, laborant, et tandem obtinent a [illegible] quibusdam maioribus eius patriae, ut interdicerent Henrico ne praedicaret, ipse vero Deo magis quam hominibus obediendum sciens, praedicavit dominica 2a adventus duos sermones, omnibus qui aderant gratulantibus et Deum super dono suo laudantibus. In die Nicolai similiter duos, populo ex omnibus angulis paene affluente. Item in die conceptionis virginis duos, omnibus stupentibus super doctrinam eius, monachis summa diligentia laborantibus, flentibus, eiulantibus et tumultum concitantibus. Qui et quod volebant effecerunt. Nam sexta feria nocte post duodecimam horam ante tertiam dominicam adventus, venerunt in Meldorp armati quadringenti aut quingenti, lucernis monachorum illuminati, et irruerunt hostiliter pleni cervisia Hamburgensi in domum pastoris et Christi martyrem Henricum e lecto extraxerunt crudeliter et ligatum ad caudam equi duxerunt eum cum summa exultatione in Heyde quod miliario magno distat a Meldorp. Cumque illuc venirent ipsum Henricum coniecerunt in cellarium cuiusdam sacrificuli omnibus ludentibus, cantantibus et bibentibus. Mane autem facto cum summa ignominia traxerunt eum ad ignem, qui in omnium conspectu bis extinctus est, quod illi miraculis, ut debent tales, artibus tribuere. Mulier autem quaedam Christiana sese interponens inter Henricum et ignem mille florenos obtulit aureos ut conservaretur donec quietius legaliter conveniretur. Sed non erat ibi auditus, et mulier accepto ictu in capite coacta est discedere. Data autem erat sententia a quodam qui non erat iudex armis illius, acceptis tamen decem florenis dicens: Hic malefactor qui blasphemavit Deum et matrem eius gloriosam et eum qui ministrabat ferre scalas, tulit scalas, dicens. Hic malefactor qui blasphemavit deum et matrem eius gloriosam. Clamor invaluit Comburite comburite. Cumque ipse oraret coelestem patrem. Henricus dixit ego hoc non feci. Sed clamor invaluit Comburite comburite. Cumque ipse oraret coelestem patrem pro eis, ab ipsis derisus est conspuitus, tandem aliquot acceptis vulneribus in tertium ignem coniectus est et numerata sunt in eius corpore XX vulnera ad minimum. Ibi mox reddidit spiritum patri et mansit corpus illo die integrum, non combustum. Altera vero die quae erat dominica tertia adventus amputaverunt mortui corporis caput, manus et pedes et combusserunt novo instructo igne, tandem vero truncum dicuntur sepelisse, chorea circum corpus facta. Sic sic moriuntur servi Christi, sic implentur verba magistri. Non possum pluribus scribere, dominum maiestatis orate ut et nos talem dignetur tribuere consummatam. O si mihi vel guttula fuisset talis et fidei et constantiae, iam securus quiescerem in Christo, qui in variis volvor miseriis, afflictionibus, anxietatibus et peccatis. Valete spiritus Christi sit vobiscum. Scripseram Martine pater amantissime literas ad Antverpienses, sed abierat nuncius relictis his literis quas nunc tuae paternitati mitto, et precor tuam humanitatem et per Iesum obtestor quatenus nos consoleris unica epistola ad totam ecclesiam Bremensem destinata. Ne queso denegas mihi quod non ego solus sed multi rogant. Et celebra, ut Christi martyrem, et monachorum tanta rabie. Parce quaeso ineptiis. Tristis est anima mea usque ad mortem, ut Christi martyrem, et monachorum tanta rabie. Parce quaeso ineptiis. Tristis est anima mea usque ad mortem, taedet enim diutius vivere, videntem tanta mala undique, nec tamen mortuus est uterus meus adhuc. Orate quoque pro me.

Tuus Iacobus. prior fuit olim apud Antverpienses in coenobio Augustinianorum.

2.

J.

Jacobus . . 3.

Judae . . 5.

Jung . . 59.

Lag. bei XII/85

B.I.G. Farbkarte #13
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Ambrosio et Thomae Bla
rerijs. amicis
tanquã fratribus.

historia